



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 15. Malaccensium seditio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

nos adjunxit, qui Urbani Prætoris officio fungerentur. Verum pia Cardinalis desideria evertebant concepta, jamque effectui data Cheuriensis consilia; hic enim Indos ardui laboris impatientes ferme omnes intra breve tempus interiisse comperiens, quingentos Æthiopes seu Negritas in Aquitania coemi, atque ad Insulam S. Dominici transferri curabat. Huic rei vehementer obluctabatur Ximenius datus ad Cheuriensem literis eidem exponens, quod Negritas in Americam transmittere, haud periculo vacaret, cum illi equidem adversus laboris incommoda contumaces, inquietum tamen & indomitum genus essent, ut proin illi numero aucti abs dubio seditionem concitaturi forent. Nec Ximenii præsagium eventus fefellit.

### §. XV.

#### *Malaccensium Seditio.*

Exiguum præterfluxerat temporis in-  
tervallum, & ecce! Malaccæ, quæ vix Ximen.  
urbs est in Granatæ Regno sita, rebellio<sup>l.</sup> 6.  
fuscitatur; cum enim navalis militiæ Du-  
ces neglecta officii sui ratione cunctis pas-  
sim nocentibus veniam impertirentur,  
populi malam hanc justitiæ administra-  
tionem iniquo ferebant animo; hac enim  
criminum impunitate urbes eorum Sica-

Q 4

riis

**S**ecul. XVI. riis atque latronibus replebantur: unde  
**A.C.1517.** repetitas ad Ferdinandum Regem Ca-  
 tholicum deferebant querelas, sed fur-  
 das semper pulsabant aures. Eo autem  
 fatis functo Carolum interpellabant, qui  
 malo remedium, quamprimum Hispaniam  
 salutaffet, pollicebatur. At Ma-  
 lacenses hoc responsum repulsæ loco ha-  
 bentes, Seditionem commovent, rei na-  
 valis Ministros propellunt, eorumque tri-  
 bunalia in alios usus convertunt. Xime-  
 nius Seditiosos clementia ad officium re-  
 ducere nequicquam fatagebat; eorum  
 enim petulantia objurgationis lenitate in-  
 dies crescebat. Ergo Cardinalis hujus  
 remedii spe frustratus, ad omnes Grana-  
 tæ urbes jussa dedit, ut quingentos equi-  
 tes, peditumque sex millia contraherent,  
 ac Antonio de Cueva ductore rebelles  
 compescerent. Malaccenses vix comper-  
 to hujus agminis itinere, effræni fiducia  
 repente in extremam sollicitudinem ver-  
 sa, Deputatos ad Cardinalem ablegant,  
 a quo illi severa reprehensione castigati  
 petitam delicti veniam impetrarunt, quin-  
 que tamen ex primoribus, quos gravior  
 rebellionis culpa tenebat, traditos Xi-  
 menius mox laqueo suspendi jussit, ho-  
 rumque suppicio sceleris vindictæ metam  
 posuit.

§. XVI.